

Theodor Varmerier Friedrich Deichmann

Collegii Instit. Privati Disputatio XVI. De Tollendarum Obligationum Modis

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73062191X>

Druck Freier  Zugang



R.H. für 1672.
Theodor Varmeier
Resp. Friedrich Sackmann

COLLEGII INSTIT. PRIVATI

DISPUTATIO XVI. 72

DE TOLLENDARUM OBLIGATIONUM

MODIS.

Quam

ANNUNTE IEHOVA

Consensu & auctoritate Ampliissimi in incluta Rosarum Academia,
Jctorum ordinis

SUB PRÆSIDIO

DN. THEODORI VARMEIER

Osnaburga Westph.

*Nobiliss. & Doctiss. Dnn. Collegis
discutiendam exhibet*

FRIDERICUS DICKMAN,

Osnab. W.


< Hora & loco solitis.

NOV. 44. 6. 1. §. 3.

Nihil est inter homines sic indubitatum, ut non possit (licet sit
valde iustissimum) tamen suscipere quandam sollicitam
dubitationem.

I. D. 276. 12. 690
Rostochl

TYPIS IOACHIMI PEDANI Anno 1612.



Landesbibliothek 1199

Continuatio.



Vemadmodum omnium rerum quas natura profert certi sunt modi quibus enascuntur & emoriuntur: sic earum rerum, quæ arte fiunt similis est ratio *Borch. princ. Inst. quibus mod. jus patr. pot. solv.* Postquam igitur modos quibus obligatio jure constituitur vidimus, ordo nunc postulat, ut, quomodo obligatio jure constituta dissolvatur, videamus. *Vult. 1. J. R. 52.*

Positio I.

Tollitur autem primò omnis obligatio solutione. *pr. Inst. quib. mod. tollit. oblig.* Quæ est vera & naturalis, vel ficta & civilis *l. solutam 47. l. verborum pen. de solut. Alth. 1. J. R. 69.*

II.

Illam est totius rei debitæ idonea satisfactio à debitore, creditori justo loco & tempore facta *Treutl. vol. 2. disp. 29. thes. 2.*

III.

Dico, **T**OTIUS. Unde debitor creditori invito particularem solutionem regulariter obtrudere nequit. *l. Tutor 41. §. 1. de Usur.* Per partes enim solutionem admittere, grave & incommodi plenum est. *l. plane 3. fam. Excise.* Ut autem quis alterius facto gravetur, contra omnem est æquitatem. *l. non dt. 74. l. factum 155. de R. J. Costal. ad l. quidam 21. de reb. cred. Vult. 1. J. R. 53. n. 80. Sickard. ad l. 1. n. 8. & 9. C. de solut. Wesf. in par. n. 5. Gæd. ad l. minus 22. de V. S. Ubi contraria dissolvit.*

A 2

Addi-

I V.

Additur; REI DEBITÆ. Scilicet ejus quæ ex natura obligationis debetur *Vult. d. loc. n. 1.* vel alterius, consentiente tamen creditore *pr. Inst. quib. mod. tol. l. cum 16. & seq. C. de solut.* Aliud enim pro alio invito creditori solvi juris ratio non permittit. *l. 2. §. 1. de reb. cred. Wes. in par. de solut. n. 4.* Ut vinum novum pro veteri *l. cum quid 3. de reb. cred.* Est enim mutuum contractus stricti juris, in quo non licet judici ex bono & æquo, quomodo quid restituendum sit, arbitrari. *Wes. in par. eod. n. 12. arg. §. in bonæ fidei. Inst. de Act.* Adeò quidem ut ne pretium promissæ speciei loco creditori nolenti rectè præstetur, nisi singulari certarum causarum favore aliud sit receptum. *l. si domus 71. §. 3. de leg. 1. Vult. d. c. n. 72.* Aut res debita solvi nequeat. *Auth. hoc nisi C. de solut. l. in re 8. ff. de cond. furt. Alib. d. loc. Gail. 2. obs. 73. n. 8. Coras. 2. misc. 3. vel etiam difficilimè & non nisi magno sumptu comparari possit. Cothm. vol. 1. resp. 36. n. 44.*

V.

Hic eleganter quæritur, An si pecunia numerata credita sit, in alia moneta, quam qualem debitor accepit, solutio fieri possit? Affirmativa nobis verior esse videtur. Æstimatio enim nummorum credita est, non corpora *l. qua extrinsecus 65. in fi. de U. O. Hotom. illustr. quasi. 15. Anthon. Matth. ad pr. l. quib. mod. tol. Treutl. vol. 1. disp. 20. th. 12. lit. a.* Nisi creditor ex ea re damnum aliquod passurus sit. *l. creditorem 99. de solut. l. 1. in fi. de aur. & arg. leg. al. in l. si quis 35. in verb. æstimatione C. de donat. Covar. c. 7. §. unic. n. 1. de collat. vet. nummis. Wes. in par. de solut. n. 5.*

VI.

Quod si verò nummorum mutatio sive in bonitate, intrinseca, sive extrinseca contigerit, cujus temporis va-

lori,

lor, contractus an vero solutionis in reddendo mutuo inspicere debeat quæri potest? Posteriori sententiæ licet *Borch. ad c. un. quæ sint regal. n. 58.* cum multis subscribat; nos tamen priorem, utpotè rationi juris & æquitati magis consentaneam, cum *Wes. in par. de reb. cred. n. 12. Myns. 4. obs. 1. Ant. Gabriel. lib. 3. tit. de solut. concl. 2. n. 2. Treutt. vol. 2. disp. 29. th. 2. lit. e.* amplectimur. In dubio enim contraheutes, sensisse existimantur, de illo valore qui tempore contractus fuerit, cumq; observari & attendi voluerint. *Cothm. d. l. n. 14. l. cum in lege 33. de contr. empt. facit l. Rullia 69. cod.*

VII.

Sibi igitur creditor imputet, quod legem contractui non dixerit apertius adversus debitorem, cui in ambiguis leges favere sciebat. *l. Artianus 46. de O. & A.* Deinde translativum est duas lucrativas causas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse. *l. si res aliena. Inst. de leg. l. un. l. lucrativas, C. de impon. lucrat. descript.* Quod fieret si creditor & usuras vel annum interestesse lucraretur, & præterea augmentum perciperet. *Cothm. d. l. n. 150.*

VIII.

Porrò in definitione subijcitur. IDONEA SATISFACTIO A DEBITORE FACTA CREDITORI: id est legitima & ex præscripto juris facta. Ut igitur solutione liberatio ab obligatione contingat, ad tria erit animadvertendum: ad personam solventis, & cui solvitur; ad res, de quibus hætenus, & ad modum. *Wes. in par. n. 2. de solut. Vult. d. l. n. 1.*

IX.

Solvere igitur possunt quivis justæ ætatis sanæq; mentis debitores, quiq; liberam rerum suarum administrationem

nem habent. Unde pupilli, furiosi, prodigi & id genus homines, ut citra eorum, quorum consilio reguntur, auctoritatem contrahere, ita etiam solvere prohibentur. *l. quod si forte 14. §. fi. de solut. l. quoties 9. §. sicut l. generaliter 10. de admin. tut. l. interdum 29. de condic. in deb. §. fin. Inst. quib. alien. lic. Wes. in para. de solut. n. 1. Vult. d. c. n. 6.*

X.

Prætoris tamen interventu solvere illis permissum est. *l. magis puta §. 5. de reb. cor. qui sub tutel. utilitatis etiam gratia receptum, ut consumpta pecunia liberatio ijs nascatur. d. l. 11. §. fi. d. l. interdum. l. non omnis 19. in fin. de reb. cred. l. obligari §. 2. de author. tut. Vult. n. 7.*

XI.

Quin etiam is, qui non debet, nomine debitoris, ut liberatio contingat, solvere potest. *l. nulla 5. l. manifesti 14. C. de solut. pr. Inst. quib. mod. toll. Wes. de solut. n. 3. atq; hoc vel ipsius mandato, l. qui mandat 56. l. solutam 49. l. cum jussu 64. l. si pupilli 66. de solut. vel sine mandato. Et tum debitore vel ignorante l. si pro me 40. vel etiam invito. l. solutione 23. l. solvere 53. eod. l. solvendo 39. de negot. gest. d. pr. Inst. quib. mod. Duar. de solut. c. 4.*

XII.

Creditori etiam cuicumq; si sanæ mentis & justæ ætatis sit, rectè solvi potest. *Wes. de solut. n. 4. Vult. all. loc. n. 19. & seqq. etiam criminis reo. l. reo 41. de solut. l. auferatur 46. §. 6. de jur. fisc. Nisi reus perduellionis sit l. fin. C. ad l. Jul. Majest. aut sceleris conscientia perterritus auferit. l. fin. C. de requirend. reu. Hinc furioso, prodigo, minori, pupillo, sine curatorum & tutorum auctoritate, ut inde liberatio contingat, non rectè solvitur. l. ait prætor. §. 1. & 2. de minorib. l. 25. C. de administ. tut. §. nunc admonendi ibiq; Wes. Inst. quib. alien. lic.*

Secus

XIII.

Secus verò si auctoritas tutorum aut curatorum vel decretum iudicis interveniat, vel locupletiores facti sint, pecuniaq; quam petunt salvam adhuc habeant: tunc enim exceptione doli summoveri possunt. *arg. l. bona fides 57 de R. J. d. S. nunc admonendi l. pupillo 15. l. in pupillo 47. de solut. l. apud 4 de dol. mal. & met. except.* Vel solutionis gratia stipulationi adjecti fuerint. *l. si stipulatus 11. de solut.*

XIV.

Nihil autem interest, an ipsi creditori vel alteri ejus nomine jussu ipsius *l. 4. C. de solut.* solvatur. Solvitur itaq; rectè procuratori generali. *l. 11. 12. de pact. l. 1. de cond. in deb. l. qui hominem 34. §. 3. l. vero 12. in pr. de solut.* Non litis procuratori *l. hoc jure 86. eod. l. sed si 13. de pact.* Non falso *d. l. qui hominem. §. 4.* Aut ei cujus mandatum est revocatum. Si enim mandatum revocatum fuerit, aut dominus re integra decesserit, aut procurator statum mutaverit, solutio facta ad liberationem non proficit: Nisi ab ignorante bonâ fide facta sit: tunc enim sola æquitate liberatio procedit *d. l. vero §. 2. l. dispensatori de solut. §. rectè & seq. Inst. de mand. Vult. d. l. n. 44.*

XV.

Solutio igitur alteri sine mandato creditoris facta liberationem non adfert. *l. si ego 24. de nego gest. nisi creditore eam ratam habente. d. l. vero. §. fin. l. invito 12. C. de solut. l. cum decem 71. §. 1. ff. eod.* Quæ ratihabitio protinus fieri debet, ubi creditor solutam esse pecuniam certior factus fuerit. *l. ratum 13. de solut. Vult. n. 55.*

XVI.

Solvitur etiam rectè in contractu solutionis causa adjecto. *d. l. vero. §. 1. & 3. l. 9. 10. l. si ita 59. de solut.* Cujuscunq; demum adjectus ætatis status, vel conditionis sit.
l. si si-

l. si stipulatus 11. h. t. Duar. de solut. c. 5. dummodo in eodem statu permaneat. l. cum quis 38. in pr. ff. cod. Creditor enim de sese queri debet quod ejusmodi personæ solutionem fieri permiserit. Vult. n. 49.

XVII.

In definitione additur **JUSTO LOCO SOLUTIONEM FACIENDAM ESSE.** *l. 8. de solut. quo fit ut alio, quam promissum est, loco. creditori invito rectè solvi nequeat, l. ob signatione 9. C. cod. l. 1. 9. & t. t. de eo quod cert. loc. l. continuus 137. §. 2. de V. O. l. fidejussor 16. §. 1. de fidejuss. §. loco. Inst. de Act. ad eò ut si alio loco solvatur ratione ejus loci interesse peti possit. l. 2. §. 7. de eo quod cert. loc.*

XVIII.

Postremò: **TEMPORIS QVOQUE OPORTUNO SOLUTIONEM OFFERENDA EST.** *Dd. ad l. qui Roma 122. in pr. de V. O. Vult. n. 31 Duar. de solut. c. 3. Hinc quæritur, An in certum diem debitum creditori ante diem illum solvi possit? Nos etiam invito rectè solvi affirmamus. d. l. continuus 137. §. 2. l. stipulatio 38. §. inter 16. de V. O. l. quod certa 70. l. qui decem 72. in pr. de solut. l. quod quis 50. de O. & A. l. cum tempus 17. de R. J. Dies enim promissoris cauta adjectus est non stipulatoris. dd. ll. Wesf. in para. de solut. n. 5. Vult. n. 21. Imò eum, qui diem præveniat, plus solvere dicimus. L. Javolenus 15. de ann. leg. arg. §. plus autem Inst. de Act.*

XIX.

Cum verò creditoris gratia præstationi faciendæ dies dictus est, idq; ipsum vel nominatim compræhensum, vel evidentibus argumentis apparet, tunc præmaturè solvere volentem repelli posse omnes consentiunt. *d. l. Javolenus. l. si ita 43. §. 2. de leg. 2. Dec. ad l. 17. de R. l. n. 6. Vult. n. 24. Idemq; de Jure Sax. observari tradit Treutl. disp. 29. th. 2. lit. i. vol. 2.*

Totum

XX.

Totum autem quod debetur non imminutum, neq; deterius factum, ad hoc ut liberatio contingat, solvendum est. *l. etiam 27. l. qui sibi 33. in fi. b. t. l. ob signatione 9. C. eod. Vult. n. 33.* Et quidem ita solvendum, ut perfectè rem accipientis faciat, sive in genere sive specie debeatur. *d. l. qui sibi in pr. l. si quis 46. l. qui sic 55. de solut. l. si buod 61. de evict. Wes. in par. n. 5.* Non videtur autem perfectè cuiusq; id esse, quod ex casu auferri potest. *l. omnes 139. de R. J.* Teneatur igitur debitor creditori de eviçtione.

XXI.

Solutione hac, de quâ diximus, ritè factâ, non solum debitor, verum etiam ij qui pro eo fidejusserunt, liberantur *l. cum quis 38. §. 2. l. in omnibus 43. de solut. §. 1. Inst. quib. mod. Vult. n. 33.* vice versa fidejussorum & similium personarum solutiones ipsi debitori principali profunt & liberationem adferunt, *Vult. n. 36.*

XXII.

Secundò tollitur obligatio acceptilatione, quæ solutioni comparatur, & imaginaria, ficta & civilis, vel quasi solutio dicitur, solutionis tamen veræ effectum habente. *l. non solum 7. §. 1. de liber. leg. l. si rem 31. de solut. l. 5. l. si ex pluribus 16. de acceptil. §. item ibiq; pulchrè Wes. Inst. quib. mod. Vult. 1. J. R. c. 55. n. 1.*

XXIII.

Est verò acceptilatio liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusq; contingit ab eodem nexu solutio. *l. 1. l. 6. de Accept. d. §. item Inst. quib. mod. Wes. in par. eod. n. 1.* Nam debitor acceptum rogat, creditor acceptum fert, atq; hinc ille accepto liberari dicitur *l. ob eam 9. de præscript. verb. l. 2. §. 5. de hered. vel act. vend. Vult. d. c. n. 2.*

B

.Et

XXIV.

Et quia interrogatio requiritur *d. l. 1. l. 7. b. t.* Ideo nutu fieri nequit. *Borch. tract. de pact. c. 2. n. 26.* Et si taciti pacti vim habeat, nisi contra sentum sit, *l. an inutilis §. de Accept. Vult. n. 48.* Hinc si creditor debitori interroganti non respondeat, sed capite forte annuat, licet acceptilatio sit inutilis, pactus tamen tacite videtur ne peteret, *l. si unus 27. §. pen. de pact.* secus vero est in inutili stipulatione *l. 1. §. 3. de V. O. l. 1. §. 4. de constit. pecun. Gæd. de contrah. stipulat. c. 3. n. 197. & seq.*

XXV.

Dividitur acceptilatio in simplicem & Aquilianam. Illa obligationes verbis initæ *d. §. item d. l. an inutilis §. 3. l. nihil 35. de R. J. Alb. 1. J. R. 69. Wesf. in par. n. 4. & 5. Vult. d. loc. n. 7. Duar. de acceptilat. in fin.* hac omnia alia obligationum genera in Aquilianam stipulationem deducta, ipsa in verborum obligationem prius transfusa, tolluntur *l. & uno 15. b. t. Alb. d. C.*

XXVI.

Utraque autem nec sub conditione, (expressa scilicet) nec in diem fieri potest *l. 4. §. b. t. Duar. ad tit. de acceptit. c. 2.* Est enim actus legitimus ~~quod~~ *l. actus 77. de R. J. Vult. n. 42 & seqq.* Deinde exemplo solutionis naturalis, quam realem vocant est, introducta *d. l. 5.* Ut igitur vera solutio non fit, nisi numerata in præsens pecunia, eaque statim non expectata die aut conditione liberari: *§. 1. Inst. quib. mod. l. acceptantur. ibiq. dd. C. de usur.* Ita & ficta, qualis est acceptilatio, obligationi præsentem interitum adfert *Goth. ad d. l. actus.* Non enim minus operatur legis fictio quam veritas *l. filio 23. de lib. & Posth. l. Adoptio 16. de Adopt. Wesf. in par. de Accept. n. 5. Coras. ad l. serv. iur. n. 20. de servit.* In diem tamen vel sub conditione

ditione debitum acceptilatione tolli potest *l. quod in diem*
12. l. si sub 21. de Accept.

XXVII.

Acceptum rogare possunt ij soli qui debent, Acceptum
ferre quibus debetur, atq; ita, si patresfam. suiq; juris sint,
Vult. n. 8. Non alij. Itaq; Procurator, tutor, curator, &c.
non rectè alieno nomine acceptum rogant, aut ferunt, nisi
novata priore & in personam rogantis transfusa obligatio-
nel. 8. §. 1. 2. l. species 11. l. § per 13. §. tutor 10. l. penult. de
Accept. Acceptilatio enim verbis fit per stipulationem,
Vult. n. 39. Nemo autem alteri stipulari potest. *l. stipulatio*
38. §. alteri 17. de U. O. §. alteri Inst. de inutil. stipulat. Wes.
in par. de Accept. n. 3.

XXVIII.

Tertius & quartus modus tollendi obligationes est
novatio & delegatio, sed non talis ut solutio & acceptila-
tio. His enim ita obligatio dissolvitur ut nulla omnino
remaneat, aut nova aliqua subsequatur; illis vero ita ut
eam sublata excipiat & subsequatur alia *l. 1. de novat.*
Vult. 1. J. R. c. 56. u. 1. Treutl. vol. 2. disp. 29. th. 5. lit. a.

XXIX.

Est autem novatio per stipulationem facta personæ
vel rei debitæ mutatio. Quam etiam hodiè per nudum
pactum, maximè inter mercatores, fieri dicit *Alth. d. c. 69.*
Treutl. d. loc.

XXX.

Novatio personæ est vel rei. Illa dicitur delegatio, hæc
in specie novatio, quæ est prioris debiti seu obligationis
(cujuscunq; etiam *l. 2. de novat. Sichar. ad Rub. C. cod. n. 4.*
modo pura sit, nam quæ non est ut conditionalis tolli ne-
quit priusquam conditio extiterit *l. 8. §. 1. ff. eod.*) in no-
vam stipulationem transfusio vel translatio, qua vetus ob-

ligatio perimitur *l. si unum 27. §. pactu de pact.* absq; inter-
ventu novæ personæ. *Cujac. in par. C. de novat. Alb. d. c.*

XXXI.

Dico, PRIORIS DEBITI. Nam si aliud debitum in
obligationem deducatur, non erit novatio, sed alia separa-
ta obligatio *l. si non fosem 26. §. 4. de condict. indeb. Wes. in
par. de novat. n. 2.*

XXXII.

Novatio fit stipulatione *l. si servum 91. §. fin. de V. O.*
Receptum vero etiam est aliam fieri litis contestatione.
Hinc dividitur in voluntariam & necessariam *l. aliam 29. de
novat. Sichard. ad Rub. n. 3. C. eod. Wes. in par. n. 3. ff. eod.
Vult. d. c. 56. n. 31.*

XXXIII.

Illa fit voluntate partium vel personarum contrahen-
tium, modo habiles sint. Ad hanc nolens volens debitor
compellitur, iudicium enim in invitum redditur *l. inter 83.
§. 1. de V. O. Wes. hinc n. 4.* Novationem igitur facere pos-
sunt omnes qui sunt sui juris, id est qui habent arbitrium,
propter legitimam ætatem, quia sunt sanæ mentis rerum
suarum *l. novare. 20. de novat. Wes. in par. eod. n. 4* In sum-
ma, qui contrahere iidem & novationes facere possunt.
Sich. d. loc. n. 14. Undè pupilli *d. l. novare prodigi, l. 3. filij-
fam. l. filius 23.* Servi *l. servum 16. l. fin. de novat.* novare ne-
queunt. *§. praterea Inst. quib. mod. Cujac. 8. Obs. 11. Wes.
d. loc. nisi illi conditionem suam meliorem dd. lo. l. pupillo 15.
de solut. vel hi (servos intellige) ex peculiari causa novatio-
nem fecerint l. servus 19. de fidejuf. Duar. de novat. c. 3.*

XXXIV.

Tutores vero & curatores pupillorum cum res exigit,
possunt loco illorum novationes facere, si pupillis expe-
diat. *d. l. novare 20. Sichardi d. loc. Vult. n. 8.* Idemq; in-
prodi-

prodigorum furiosorumq; curatoribus probandum est
l. fin. §. agnatum de novat.

XXXV.

Non autem cui rectè solvitur is novare protinus poterit *l. non ideo 25. tamen si hoc interdum verum sit l. cui rectè 16. de novat. Vult. n. 11. Duar. de novat. c. 3.*

XXXVI.

Novatio olim quomodocunq; fieri potuit casibus quibusdam exceptis, hodiè expressè fieri debet, hoc est ut contrahentes exprimant, se priore obligatione perempta, velle fieri novam *l. fin. C. de novat. §. pen. Inst. quib. mod. Wes. in par. hic n. 6. quod etiam tum verum est, si verosimiles conjecturæ sint ex quibus novatio intelligi posset. Gothof. ad d. l. fin.*

XXXVII.

Effectus ejus indè facile dignoscitur, nempe ut priore obligatione perempta unà cum accessorijs, fidejussione puta, & pignoribus is qui novavit ex secunda teneatur *l. novatione 15. h. t. Wes. in par. n. 7. eod. Alth. d. c.*

XXXVIII.

Delegatio species novationis generatim acceptæ, est mandatum quo creditor debitorem jubet id quod sibi debet promittere alteri *l. de legare 11. h. t.*

XXXIX.

Delegatio autem vel voce, vel scripto, vel nutu delegantis fieri potest *l. delegare 17. h. t.* Nihil enim aliud est quàm mandare. *l. si quis 12 in fin h. t.* Qui contractus consensu constituitur; secus est in delegato, qui non modo consentire sed etiam stipulanti verbis promittere debet. *l. 1. l. 16. C. de novat. Sichard. d. loc. n. 15.* Consensus enim ejus ideò necessarius est, quia nemo invitus obligatur *l. nec emere 16. C. de jur. deliber. l. sicut 5. C. de O. & A. Wes. in*

par. de novat. n. fin. adeò quidem ut creditor officio iudicis
cogi non possit ut se delegari patiatur, vide tamen *Sich. ad*
l. 1. n. 4. C. de novat.

XL.

Quintus tollendarum obligationum modus est com-
pensatio, quæ est debiti & crediti inter se contributio, sive
collatio *l. 1. de compensat. Vult. 1. J. R. c. 58.* & partim ex
æquitate naturali originem suam trahit, partim ex civili
Duar. de compens. c. 1.

XL I.

Ex naturali quidem, quia interest nostra potius non
solvere quam solum repetere *l. 3. h. t. l. 15. de fidejuss. &*
dolo facere videtur, qui petit id quod restituere debet.
l. 8. dolo l. 2. §. 5. de dol. mal. & met. except. c. dolo de R. J.
in 6. l. in condemnatione 173. in fin. ff. eod. Duar. d. c. Ex
civili autem æquitate, quia compensatio ad dirimendas li-
tes pertinet, ne fiat per plura quod confici potest per pau-
ciora *l. ampliore 37. §. 1. C. de appellat. l. 1. quod met. caus.*
Wes. in par. de compensat. n. 3.

XL II.

Sicut autem solutione ipso jure tollitur obligatio *§. 1.*
Inst. quib. mod. ita etiam ipso jure tollitur compensatio
l. 4. l. fin. C. de compensat. l. posteaquam 21. ff. eod. Species e-
nim quædam solutionis est compensatio *l. 4. qui potior. in*
fig. l. vel permutavit 19. de liberal. caus. Vult. d. c. n. 2. Duar.
c. 2. de compensat.

XL III.

Compensantur autem invicem res fungibiles, quanti-
tas ad quantitatem. Nihil etiam interest ex quacunq; de-
mum causa fiat compensatio, etiamsi debeatur natura-
tantum *l. 6. de compensat.* nisi exceptione peremptoria peri-
mi possunt *l. 14. eod.* debitum tamen utrinq; liquidum esse
debet.

debet. Siquidem liquidi ad illiquidum compensatio non conceditur. *l. fin. C. de compensat. si debeas 22. ff. eod. Duar. de compensat. c. fin. Cujac. 8. Obs. 16.* modò etiam purè debeatur *l. 7. eod.*

XLIV.

In omnibus judicijs hodiè locum habet compensatio præterquam in deposito & actione momenti, *§. in bonæ fidei Inst. de Act. Vult. n. 23. Duar. de compensat. d. c. fin. Cujac. 8. Obs. 16. Treuil. vol. 1. disp. 25. th. 7. lit. d. § seq.*

XLV.

Sextus tollendarum obligationum modus est confusio, qua obligatio confundi dicitur, quoties debitor creditori, & vice versa hæres existit *l. debitori l. C. de pact.* In eandem enim personam utriusq; jure concurrente, in eum locum res redit ut manere obligatio nequeat. *l. sicut 75. l. Stichum 95. §. 2. de solut.* alioquin sibi ipsi debere quis videretur, *d. l. debitori. Vult. 1. J. R. c. 57.*

XLVI.

Postremò ex obligationes quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate, re nondum secuta, dissolvuntur, *l. 1. 2. C. quando lic. ab empt. disc. §. fin. Inst. quib. mod. l. ab emptione 58. de pact.* Plures modi ex latioribus digestorum libris peti possunt, ad quos brevitatis causa lectorem remittimus; pro instituto nostro hos enumerasse sufficiat.

Coroll.

Si thaleri mutuo dati sint hæc lege, ut in simili moneta restituerentur, postea autoritate principis reprobentur, quæritur eleganter an sufficiat debitori ante moram, eodem, si forsan habere possit, solvere, ut liberationem consequatur. Affirmativa cum Dn. Cotamanno *vol. 1. cons. 36. n. 77.* nobis arridet.

92 26

Doctissimo Dn. Respondenti
amico suo


CVnctos mortales duos perferre labores,
Non solum ut victum capiant, sed & ampla reportent
Pramia virtutis, graviter monet ipsa Dei vox;
Et natura jubet; quae jussa capessere cuncti
Conantur. Nam dum tumidos sectatur honores
Cultor militia, indomito quos sanguine fuso
Mars vendit deploratus; quis dira pericla,
Nescit; quae dorso semper sufferre jubetur?
Mercator, dum pauperiem fugit; anne labores
Is quaeso vitat? quin terq; quaterq; per annum
Indos per mare dum visit, conamine firmo
Frigora saeva pati discit nec cedere nimbis.
Quare & ei, sacris Musarum cultibus aptos
Ritè juventutis vegeta qui mancipat annos,
Curam non somnos genitor permisit inertes.
Id quod tu DICKMANNE probas, dum miles in arte
Juris, pervolvens leges noctesq; diesq;
Ingredere durum hoc, sed perlaudabile captum,
Et nodos juris, legumq; anigmata solvis
Praeside sub VARMEIERO, quem ritè refertum
Dotibus ingenij (nec enim sententia fallit
Me augurijs varijs) quondam labor impiger amplis
Destinet officijs, qua nunc dispensat honoris
Ad solium pater erectus JACOBVS, & usu
Rerum & consilio magnus. Quod candidus opto.

acclamabat.

JOHANNES HENSLERUS
Solitariâ F.

1679





the scale towards document

liquidi ad illiquidum compensatio non
*C. de compensat. si debeas 22. ff. eod. Duar. de
Cujac. 8. Obs. 16.* modò etiam purè debea-

XLIV.

judicijs hodiè locum habet compensatio
deposito & actione momenti, *S. in bonafid.
ult. n. 23. Duar. de compens. d. c. fin. Cujac. 8.
ol. 1. disp. 25. th. 7. lit. d. & seq.*

XLV.

condarum obligationum modus est confu-
so confundi dicitur, quoties debitor credi-
tore hæres existit *l. debitori l. C. de pact.* In eam
rem utriusq; jure concurrente, in eum lo-
cus manere obligatio nequeat. *l. sicut 75. l.
de solut. alioquin sibi ipsi debere quis vide-
bit. Vult. 1. J. R. c. 57.*

XLVI.

obligationes quæ consensu contrahun-
tur, re nondum secuta, dissolvuntur,
*l. ab empt. disc. §. fin. Inst. quib. mod. l. ab
empt. §. Plures modi ex latioribus digestorum
textibus, ad quos brevitatis causa lectorem remit-
to nostro hos enumerasse sufficiat.*

Coroll.

quò dati sint hac lege, ut in simili moneta
postea auctoritate principis reprobentur,
an sufficiat debitori ante moram, eos
habere possit, solvere, ut liberationem
conferat. *Affirmativa cum Dn. Cotamanno
conf. 36. n. 77. nobis arridet.*

92 26